OFFICIVM
DVPLEX
S. PETRI EREMITAE
Patroni, & Protectoris
TERRAE TREBARVM

Abbatiæ Sublacenſis Nullius Dioec.

Cuius ſacrum Corpus in Collegiata Eccleſia eiuſdem loci piè aſſeruatur.

Ex indulto Apoſtolico fel. record. Clementis Papæ Octaui recitari ſolitum cum Octaua à Clero dictæ Terræ in Feſto ipſius Sancti, quod celebratur die trigeſima Auguſti: modò autem ex decreto Sacræ Rit. Cong. pro vniuerſo Clero etiam aliorum locorum Abbatiæ Sublacenſis conceſſum, & extenſum, ſed ſine Octaua.



ROMÆ, Ex Typographia Reu. Cam. Apoſt. 1674.
Superiorum Permiſſu, & Priuilegio.

CLEMENS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

QVæ ad diuini cultus augumentum, & sanctorum venerationem pertinent, ea libenter concedimus, prout in Domino salubriter conspicimus expedire. Sanè pro parte dilectorum filiorum Cleri, & Populi Terræ Trebarum Anagninæ Diœc. nobis nuper expositum fuit; quod ipsi pro eorum erga Beatum Petrum Eremitam dictæ Terræ Patronum instituto, & peculiari deuotione, Officium proprium de dicto Sancto in Ecclesijs dictæ Terræ recitare posse cupiunt: Nos illorum pio desiderio benignè satisfacere, ac eos specialibus fauoribus, & gratijs prosequi volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati; lectiones proprias dicti Sancti Petri Eremitæ in Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium super Sacris Ritibus, & cæremonijs deputatorum examinatas, emendatas, & approbatas, ac per dilectum filium nostrum Cæsarem Presbyterum Cardinalem Baronium nũcupatũ subscriptas, quarum tenores præsentibus pro expressis haberi volumus ex voto dictorum Cardinalium, auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuò confirmamus, & approbamus, ac dicto Clero, & Populo, vt

tan-

tanquam de Patrono dictæ Terræ festum eiusdem Sancti Petri Eremitæ, quod die 30. Augusti ab immemorabili tempore celebratur ad rubricas Breuiarij Romani in eorum Ecclesijs publicè celebrare, & lectiones proprias, vt præfertur, examinatas, & approbatas recitare valeant, authoritate, & tenore præsentiũ perpetuò concedimus, & indulgemus, non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrarijs quibuscunque. Volumus autem, vt præsentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub Annulo Piscatoris die 14. Augusti 1602. Pontificatus Nostri Anno Vndecimo.

M. Vestrius Barbianus.

Die xxx. Augusti.

IN FESTO S. PETRI EREMITAE TREBARVM PATRONI

DVPLEX.

Omnia de Communi Confessoris non Pontificis, præter Lectiones secundi Nocturni.

Oratio.

DEus qui nos Beati Petri Confessoris annuâ solemnitate lætificas: concede propitius, vt cuius natalitia colimus, etiam actiones imitemur. Per Dominum Nostrũ Iesum Christum.

Lectiones primi Nocturni de libro Sapientiæ. Iustus si morte præoccupatus &c. *vt in communi Conf. non Pontif.*

IN II. NOCTVRNO.

Lectio iv.

PEtrus Eremita propè Carseolos in Arcis Vegetis Castro Marsicanæ Diœc. natus, ab ineunte ætate morum integritatem, pudicitiã, & innocentiam mirificè

co-

coluit. Adolescens cum à parentibus ad ducendam vxorẽ impelleretur, illis clam, patriâq; relictis, Tybur secessit; vbi annos aliquot apud Cletum virum probũ, & pium diuersatus, eos breui progressus effecit, vt magistrum suum superare videretur. Eius sanctitatis fama vbi ad Episcopi aures peruenit, Petri ille virtutes admiratus, ipsum in Clericorum numerum adscripsit. Tu autem Dñe.

Lectio v.

INterea Episcopi iussu in Patriam reuersus, vt conciues suos ad pietatem instituerct, eorum quãplurimos, sermonibus de rebus pijs, quos ad eos faciebat, è corruptis moribus ad emendatiorem vitã traduxit. Quod cum faceret, impijs hominibus illum oppugnantibus, eũque deridentibus, nunquam cessit; ab ipsis etiã cæsus, eam iniuriam patienter sustinuit. Cumque apud suos duos circiter annos fuisset, tandem Sanctissimæ Dei Matris admonitu inde recedens, ad eum locũ, qui Sublacus dicitur, venit, vbi sex menses apud Monachos S. Benedicti commoratus, finitima loca, quò proximum adiuuaret, circumiuit: in ijsque, Deo iuuante, multa sanctè, & admirabilitèr gessit. Dæmonem, qui eum in Ecclesiâ Sancti Abundij orãtẽ impedire conabatur, à se expulit: carnem

quoque

quoque cilicio perpetuo afflixit. Tu autem Domine.

Lectio vi.

TRebas deinde profectus, cùm ibi magno suo dolore Christianos ritus collapsos vidisset, eosdem restituendos suscepit, atque eius Oppidi incolas ad diem Dominicum ritè colendū hortari cœpit: idque ita fieri debere, vt eos monebat, miraculis confirmauit, ibique plurimis quoque ad salutem profuit. Orationi adeò intentus erat, vt precando à Deo quamplurima admirabilitèr impetrarit. Vas vitreum confractum diuinâ virtute restituit. Multos, qui offerebantur, homines morbis varijs affectos sanauit. Dæmonū æstu agitatos liberauit, cæcorum oculos, surdorum aures aperuit, aliaque diuinitùs egit, quibus Deus eius sanctitatem omnibus notam esse fecit. Demum beatus vir, his, alijsque meritis cumulatus in Cœlū migrauit ad præmium, tertio Kalend. Septembris, ex cuius corpore suauissimus mox odor, mirantibus qui aderant, manare cœpit. Tu autem Domine.

IN III. NOCTVRNO

Euangelium. Sint lumbi vestri præcincti. *Cum Homilia Sancti Gregorij Papæ, vt in Comm. Conf. non Pontif.*

Missa. Os iusti. *Ex eodem Communi, cum oratione vt supra.*

Ab-

Abbatiæ Sublaci.

SAcra Rituum Congregatio, referente Eminentiſſimo Domino Cardinali Bona, ad preces Eminentiſſimi D. Cardinalis Caroli Barberini Abbatis Commendatarij Sublaci benignè inclinata, cenſuit, concedi poſſe, prout conceſſit, vt in poſterum Officium Duplex cum octauâ, & lectionibus proprijs Sancti Petri Eremitæ Protectoris Terræ Trebarum loci prædictæ Abbatiæ, quod die 30. Auguſti feſto dicti Sancti ſolet recitari à Clero dictæ Terræ, etiam per Clerum tàm Terræ Sublaci, quàm aliorum locorum prædictæ Abbatiæ recitari poſſit, & valeat, abſque tamen octauâ. Hac die tertiâ Martij 1674.

F. M. Epiſc. Portuen. Card. Brancatius.

Loco ✝ Sigilli.

Bernardinus Caſalius Sac. Rit. Congreg. Secret.

